DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO ... AB...

Giuseppe Aldobrandini, Michele incisore Stasi, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo Patri
BENEDICTO XIII.
PONTIFICI MAXIMO

JOSEPH ALDOBRANDINUS
FELICITATEM.

PRæſens conſpectus tuus, quo jamdiu carebamus, BEATISSIME PATER, ampliſſimæ huic Urbi nuper multò jucundiſſimus viſus eſt, quum ex ſuſcepto itinere Sanctiſſimo tuo muneri, maximæ huic Sedi reſtitutus, omnia rurſus,

qua ſoles , tua majeſtate compleres , omnia tua benignitate novo gaudio , recentique hilaritate componeres , atque inſtaurares . Mihi vero licèt reditus tui communis fuerit cum cæteris omnibus lætitia , tamen nenon timere quidem ſine aliquo timore non potui , quum onus mihi injunctum de Auguſtiſſima TRINITATE *dicendi , reverenti quadam mente agitarem . Accedebat ineffabilis Myſterii dignitati exiguam mei vim ingenii ſentire , Sapientiam tuam dicenti mihi adfuturam perpendere , hiſque omnibus efficiebatur , ut verendi ratio non cenſeretur imprudens . Quæ tamen adverſus*

me

Digitized by Google

me facere, contra deſiderium meum niti putaveram, eadem ipſa deinde hortata ſunt, ut auderem; Humanitas nempe tua, quâ & humilium curis, cogitationibuſque intereſſe non dedignaris, & ſubjecti dignitas, quam maximè ad Te pertinere, nemo unus erit, qui poſſit ambigere. Auſus igitur ſum, & tua Indulgentia, quam pleniſſimam in dicendo fui expertus, adjecit animos, ut ſummam voti conſequerer, Orationem meam Tibi inſcriberem, ſiſterem Tibi. Pro his omnibus demum, quæ in me benignè contuliſti, Deum Optimum Maximum precor, ut cogitationes tuas tam

lætus ſequatur eventus, ut virtutibus tantis Eccleſiæ dignitas novetur ſemper, atque augeatur: id vero mihi contingat, ut benedictione tuâ, quam devotioni meæ impenſiſſime poſtulanti impertiris, non indignus exiſtimer.

ORA-

Digitized by Google



ORATIO.

QUæ habitat in Conſilio, *Parab Salom. cap. 8.*
BEATISSIME PATER,
& eruditis intereſt cogitationibus, divina Sapientia, hodiernâ quidem feſtivitate nullis videtur magis poſſe eloquiis delectari, quam quibus cæterarum omnium præſtantiſſimam perpetuo aſſequendam ſtudio de Auguſtiſſima TRINITATE doctrinam enitimur confirmare. Quamvis etenim quæcumque intuemur, vel ſecretâ animadverſione perquirimus, quamdam nobis Divinitatis ſpeciem ingerant bene, ac ſapienter percepta;
pru-

prudentique operum admiratione Auctor dignoſcatur Omnipotens, nuſquam tamen divinam veritatem, quam in Deo ipſo vel reperire, vel præſtabit expetere. Quamobrem ab hiſce veluti infirmarum rerum vinculis, quibus humanæ mentis acies obruta detinetur, abſoluti, ad eum, qui eſt, ex animo accedentes, ubi in Unitate naturæ in Perſonarum TRINITATE acquieſcit Divinitas, illud nanciſcamur exemplar, cujus, etſi adeo impares, tamen ſumus imagines. Ecquæ etenim humanæ naturæ divinâ a TRINITATE profectæ, dignior ſollicitudo, quæ cura præſtantior, quam eâ in meditatione ſiſtere, eâ ſemper in cogitatione verſari, quæ vel ipſius Dei integra eſt, & abſoluta cognitio, ejuſdemque lætitia? Oritur de fœcundâ Patris mente Filius, totum in ſe referens Patrem, omnimodam cum eo habens identitatem, ac eo ſolo diſcrepans, quod eſt a principio: Hic vero ineffabilis complexus Patris, & Imaginis non eſt ſine charitate, ſine gaudio; eſt igitur in TRINITATE Spiritus Sanctus, non genitus, ſed a Genitore procedens, Genitoque ſuavitas. Quæ quum ita Deo inſint, ut ab ejuſdem naturâ abeſſe minimè poſſint, Trinum neceſſariò agnoſcamus, Trinum libenti animo nuncupemus,

Joan. Damaſ. lib. 1. de Imag.

Auguſt. li. 6. de Trin. cap. 10.

Digitized by Google

mus, oportet, quod quam ſæpiſſime occurret, tam maxime expediet commemorare. At ſi tanti eſt hujuſmodi ſuimet Intellectus, ut maximâ perfruaturlætitiâ, ſicuti jam inde a principio, ut intelligeret, fuit neceſſe, perpetuò intellecturus, ita æternam eum percipere jucunditatem ex hujuſmodi intellectione conveniet. Cujus profecto incredibilis gaudii teſtis ipſe, atque Auctor: Nos vero fide edocti id ei credimus, & gratulamur: Nos ab eo producti, cum ſuâ uſus libertate delicias ſuas aliquando extra ſe quæreret, & ineffabili amore ductus quamdam TRINITATIS Imaginem mentibus noſtris inſculperet, & quodammodo Creator exprimeret. Quod ſi ea eſt exortus noſtri felix, & præclara conditio, ut Deo gloriemur Auctore, Deo ad Imaginem ſuam, & ſimilitudinem nos efformante, quomodo unquam ab ſuâ origine deflectetur hominum cogitatio, præſertim unde exiit, reverſura? Circumſeptus eſt animus noſter præſenti Divinitate, TRINITATEM repetit, ut principium; eamdem, ut propoſitum ſibi finem intuetur: ne igitur a principio non recedat, ac ut ad beatum finem enixe contendat, totus in eo ſtudio ſit, ut veluti medium identidem reſpiciat TRINITATEM; nomenque ejus in ore omnium

Ambroſ. de dign. co. hum. c. 1.

ſan-

ſanctum, piumque verſetur. Quod equidem ſtudium, quum in ſimplicitate maximam præſtoletur ſapientiam fides, nec per difficiles quæſtiones ad beatam vitam evocat, nec multiplici eloquentis facundiæ genere ſollicitat: in abſoluto nobis, ac facili poſitam percunctamur æternitatem. Credimus etenim, propter quod & loquimur; adoramus ſcilicet Patrem, veneramur cum eo Filium, ut Sancto Spiritu, Deo volente, abundemus.

Hilar. lib. 6. de Trin.

FINIS

Digitized by Google